



11813.

1668, 26

D. T. O. M. A.

DISPUTATIO JURIDICA

DE

CESSIONE BO-  
NORUM,

Quam

Divina permittente gratia,

Ex

Suffragio Magnifici, Nobilissimi &

Amplissimi Jctorum in Illustri Academia

Lips. Ordinis

P R A E S I D E N T E

Nobilissimo, Amplissimo & Consultissimo

V I R O

DN. BARTHOLOMÆO LEON-

HARDO SVENDENDÖRFFERO, U. J. D.

& Inst. P. P. Celeberrimo,

Domino Promotore, Patrono & Doctore Opt. Max.

*publicæ Eruditorum ac benevolorum censura subicit*

P E T R U S *Grass* / Cygnea - Misnicus

Autor & Respondens.

In Auditorio Jctorum Petrino

*Ad diem XXI. Octobr. Anno cD Idc LXVIII.*

horis consvetis.

---

L I P S I Æ

Literis JOHANNIS GEORGI.



D. T. O. M. A.  
DISTINCTIONE JURIDICA

DE  
CESSIONE BO  
NORUM

Summario Magnifico Nobilitatis  
Amplissimi Consilii in Illustri Academia

Nobilissimo Amplissimo & Consilii  
V. R. O.

DR. BARTHOLOMEO LEON

HABDO STENDENDORFFERO, U. J. D.

Doctoris Honoris Praetoris & Doctoris Opt. Max.

PETRI S. GROSSI Cygnar-Militaris

Leipzig, Augustus 1771







# EX omnibus Juris partibus

eligamus tractemusve ea, quæ quotidie, quæ quotidiana sunt & in vita communi usum obtinent. Cum igitur Cessionis Bonorum materia usum non vulgarem obtineat, de punctulo fabæ me acturum fore non puto, si de hac materia pauca proponere studerem, sed imitamine sacratissimi Principis Justiniani, In nomine Domini nostri Jesu Christi ad rem ipsam me accingam. Sit igitur

Thef. I.

## De Etymologia.

Dicitur autem BONORUM CESSIO à cedendo quasi discedendo, quod Germanis eine gerichtliche Auflassung / Aufgebung und Abtretung significat.

Thef. II.

## De Synonymia.

Variis præterea gaudet appellationibus. Vocatur enim BENEFICIUM. *l. 4. l. 7. C. qui bon. ced. poss.* MISERORUM subsidium. *Math. Brun. de cess. bon. q. 4. q. 5. n. 3.* MISERABILE auxilium *l. 8. C. qui. bon. ced. poss.* Beneficium legis flebile, debitori

A 2

pro



pro carceribus evitandis concessum. *l. 1. C. qui. bon. ced. poss. & cedentes vocantur infelices Nov. 6.*

Thef. III.

## De Definitione.

Est autem CESSIO BONORUM actus, quo debitor, qui non est solvendo evitandi carceris aliarumq; molestiarum causa, lege permittente, omnia sua bona creditoribus dimittit *l. 1. l. 4. C. qui. bon. ced. poss. Nov. 135. S. 8. J. de societ.*

Thef. IV.

Definitio hæc poterit dispesci in GENUS & DIFFERENTIAM. *Genus* est actus, *differentia* sumitur tum à CAUSA effic. quæ est vel REMOTA vel PROPINQUA. REMOTA est *L. Julia L. 4. C. qui bon. ced. poss.* PROPINQUA sunt omnes debitores, tum ab OBJECTO, quod sunt omnia bona, tum à forma, quæ est dimissio, tum à FINE, qui est evitatio carceris aliarumq; molestiarum.

Thef. V.

## De Divisione.

Sequitur nunc DIVISIO. Poterit vero CESSIO BONORUM non incommode dividi in JUDICIALEM & EXTRAJUDICIALEM. *l. ult. ff. de cess. bon.* JUDICIALIS est, quam quis nolens volens interveniente Judicis decreto suscipere cogitur. EXTRAJUDICIALIS est, quæ ex partium conventionem, nullo cogente jure, ex utriusq; & cedentis, & cessionarii liberrima voluntate proficiscitur.

Thef.



## De Cauſa Efficiente.

CAUSA EFFICIENS eſt vel REMOTA, vel PRO-  
 PINQVA. REMOTA eſt Jus Civile, & quidem L. Julia l. 4.  
 C. qvi bon. ced. poſſ. PROPINQVA ſunt (1.) omnes debi-  
 tores, qvi caſu fortuito bonis lapſi ſunt. Dn. Strauch. Diſſert. 28. th. 13.  
 Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 44. th. 26. Perez. ad tit. C. qvi bon.  
 ced. poſſ. n. 3. Caſum autem fortuitum appellamus, qvi nullo hu-  
 mano conſilio provideri poteſt. l. 2. §. 7. ff. de adminiſtr. rer. ad civit.  
 pertin. puta ſi ſolo fortunæ vitio, veluti incendio, ruina, latronum  
 vel hoſtium incurſu, naufragio, furtis, vi aquarum inſolita aut alia  
 inſigni calamitate quis opprimatur. Calvin. Lex. verb. caſ. fortuit.  
 Et licet creditores velint dare inducias quinquennales, quod vero  
 ſtat in ipſorum poteſtate & electione, an velint bonorum ceſſio-  
 nem accipere vel tempus quinquennale indulgere. Quod ſi vero  
 aliqui creditores vellent recipere ceſſionem, alii indulgere tem-  
 pus quinquennii, inſpiciendum eſt, qvi creditores faciunt majorem  
 debiti ſummam, & illi obtinebunt, quos reliquos minorem ſum-  
 mam facientes imitari oportet. Ubi vero paritas ſummæ fuerit,  
 hi debent anteponi, qvi ad humaniorem declinant ſententiam, in-  
 ducias non ceſſionem exigentes l. ſm. C. qvi bon. ced. poſſ. (2.) Si-  
 ve ſint Patreſfamil. ſive filiifam. l. 7. C. qvi bon. ced. poſſ. Krembergk.  
 ad §. ult. I. de Act. Treutl. vol. 2. Diſp. 24. th. 4. lit. C. Quoniam &  
 hi ex contractibus ſuis tanquam Patreſfam. obligantur & conveni-  
 untur l. 39. ff. de O. & A. Tilem. in Colleg. ff. Diſp. 24. th. 4. lit. C.  
 Treutler. vol. 2. Diſp. 24. th. 4. lit. A. ibiq. Bachov. (3.) Cujuscunq;  
 ſexus, ſive maſculini, ſive ſceminini l. 7. C. qvi bon. ced. poſſ. Nov. 134.  
 c. 9. Weſenb. in π. de ceſſ. bon. n. 3. (4.) Tota aliqua Univerſitas.  
 Hahn. ad Weſenb. tit. de ceſſ. bon. n. 3. Perez. ad tit. C. qvi bon. ced. poſſ.  
 in qua quidem ceſſione non venirent bona ſingulorum civium,  
 quia illa bona non ſunt univerſitatis, & quod univerſitas debet, ſin-  
 guli non debent l. 7. ff. quod cujuſq; univ. nomine, niſi Syndicus ad  
 hoc per concilium univerſitatis conſtitutus, obligaret univerſita-



tem & singulares personas. *Goden Confit. 34. num. 26. 46.* (5.) *Civitas Brunnem. ad π. Wesenb. tit. de cess. bon. qvæst. 4.* (6.) *Ecclesia No v. 3. proem. vers. cum vero Deo. Hahn. ad Wesenb. de cess. bon. n. 3.* Modo ipsa non indigeat (7.) *Collegium Strauch. Dissert. 28. th. 13. Treutler. Vol. 2. D. 24. th. 4. lit. C.* (8.) Minor & Major, modo rerum suarum habeat administrationem. *J. Schneidewinus Abavus meus maternus, post ultima fata, pia recordatione colendus ad §. ult. I. de Act. Nicol. Proc. p. 3. c. 6. n. 2. 3.* Contra non possunt cedere (1.) *qvi in fraudem creditorum bona alienarunt aut dissiparunt. Eman. Suarez in Comm. Opin. T. 3. Bachov. ad Treutler. V. 2. D. 24. th. 4. lit. K.* (2.) *Qvi spe ac animo cedendi contraxerunt, scientes se non esse solvendo. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 44. th. 26.* (3.) *Qvi foro cedant ac multorum pecuniis interceptis, contra fidem quam dedere, solum vertentes aliò confugiunt Perez ad tit. C. qvi bon. ced. poss. Policey-Ordnung. Caroli V. Tit. von verdorbenen Kauffleuten.* (4.) *Decoctores, qvos vulgò mercatores Fallitos sive Banco ruptores appellitant, die gefährl. und betriegl. weise/in Schein trauens und Glaubens Geld und Wahre ausbringen / entlehnen und nehmen/ ihre Handlung damit zu üben/solches durch übermäßige Pracht und unordentlich Wesen / Leben und andere Wege in Verderben gerathen/darnach auffstehn/austreten/und sich in andere Herrschafften begeben/ut loquitur Reformierte Policey-Ordnung de anno 1548. tit. Von verdorbenen Kauffleuten. Besold. in Thesaur. Pract. verb. Banckerott Brun. de cess. bon. q. 4. n. 1.* Est enim miserorum subsidium, non dolosorum præsidium. (5.) *Qvi cedere volunt, ut in-habiles facti honores municipales, vel munera aut onera quæcunqve publica evitent. l. 5. C. qvi bon. ced. poss.* (6.) *Qvi ex malitia partem bonorum indicat, partem celat. Hahn. ad Wesenb. de cess. bon. num. 3.* (7.) *Qvi antea habuit quinquennale, qvod effluxit der einen Eiseren Brieff ausbracht. Baptist. à Villalobos. in Comm. Opin. T. I. verb. cedere. Tusch. pract. concl. Jur. T. I. Concl. 219. n. 21.* Quibus vero detur ejusmodi quinquennale patet ex *Reichs-Abschied zu Augspurg de anno 1548. sub tit. Von verdorbenen Kauffleuten. §. Und nach dem.* (8.) *Qvi ex causa delicti in pœnam pecuniariam sunt condemnati: Nam qvod ære suo non possunt, corpore luunt. l. 1. §. ff. de pœn. l. fin. ff. de in jus voc. Heig. ad §. ult. I. de Act. Wissenb. Exerc. ad ff. D. 21. th. 19.*

*Tusch.*



*Tusch. Pract. concl. Jur. T. 1. Concl. 219. n. 11. Hahn. ad Wesenb. Exerc. 21. num. 3.* Plures casus, quibus cessio competit & negatur videantur apud *Perez ad tit. C. qui bon. ced. poss. Bachov. D. 24. th. 4. lit. K.* Beneficio cessionis non opus habent, quibus beneficium competentia competit, quod vero tribuitur, partim ob causam ex qua agitur, ut donatori, partim ob personam rei, quod variè, aut enim propter conjunctionem inter litigatores constitutam; & eam vel sanguinis, vel affinitatis, vel societatis. Propter conjunctionem sanguinis tribuitur & convenitur in id quod facere potest Parens à liberis, liberi à Parente. Item frater à fratre. Habet idem beneficium & conjunctio voluntate suscepta inter socios tanquam jure fraternitatis. Ob meritum in Remp. Militi qui sub armata militia stipendia meruit, propter miserationem qui bonis cessit. *de quibus Donellus ad S. ult. 1. de Act. Berl. p. 2. concl. 28. n. 37. Bachov. ad Treutl. V. 2. Diss. 24. th. 4. lit. H.* Omnes itaq; qui non in carcerem mitti, & beneficium habent, ne conveniantur ultra id quam facere possunt, haud coguntur bonis cedere. *Berl. p. 2. concl. 28. n. 36. seqq.* Hinc formula sententionandi: *Dass dem Schuldner vor allen Dingen/vermöge des von ihm angezogenen beneficil competentia die jährlichen alimentia auff Nichterliche Moderation von den Kauffgeldern billig verordnet werden* *D. K. W. B. Carpz. Proc. T. 25. A. 4. n. 19. seqq.*

Thef. VII.

## De Materia.

Materia autem, quæ cedi potest sunt omnia bona *l. 3. 4. ff. de cess. bon. S. 8. J. de societ. Perez ad tit. C. qui bon. ced. poss. Hahn ad Wesemb. tit. de cess. bon. n. 4.* Quorundam enim bonorum cessio ad avertendam executionem non sufficiens est, ne creditori facultas in quæcunq; bona adimatur. *l. 8. ff. de distract. pign. B. Carpz. Const. El. 32. Def. 9. n. 6. p. 1.* Imo ad peram & saccum excutiendus est; & nisi fame perire malit, panem ostiatim quærere cogatur *Carpz. Asyl. debit c. 2. n. 164. W. ssenb. Exerc. ad ff. D. 21. th. 19. Hahn ad Wesenb. tit. de cess. bon. n. 4.* Debet autem fieri cessio ante condemnationem;



nem. Ord. Proc. tit. 39. §. weil sichs auch wohl zu trägt. B. Carpz. lib. 5. T. 4. Resp. 22. n. 17. Hinc formula pronunciandi talis habetur: Diemeil der Schuldener zu Abwendung der Hülffe alle seine Güter den Gläubigern einzuräumen sich erbeut / so wird die Hülffe gestalteten sachen nach billig eingestellt.

### Thef. VIII.

Nihil autem interest, sive fiat in, sive extra judicium, sive per epistolam. Nam sufficit sola voluntas l. 6. C. qvi. bon. ced. poss. Qvodo vero hodie aliter se habet Wissenb. Exerc. ad ff. disp. 21. th. 19. Weichb. A. 20. & art. 60. Landr. lib. 1. art. 34. Carpz. l. 5. T. 5. Resp. 37. n. 1. & Resp. 33. 34. Coler. decis. 137. n. 19. Requiritur tamen (1) ut debitores instent & petant debita l. fin. ff. de cess. bon. Schneidvv. ad S. ult. J. de Act. Dn. Struv. synt. Jur. Civ. Exerc. 44. th. 27. (2) ut cedens bonis agnoscat debitum. l. pen. ff. de cess. bon. Mant. libr. 10. Observat 98. (3) ut debita sint liquida. Hahn. ad Wesenb. Exerc. 21. th. 27. Ordinat. Proc. jud. §. endlich in verb. iedoch anderer Gestalt nicht / denn wo die Schulden richtig / vnd ohne Mühe / kosten vnd Hülffszwangf leichtlich einzubringen B. Carpz. T. 25. A. 4. n. 13. (4) ut indicet omnia bona, qvæ executionis tempore possidet l. pen. ff. de cess. bon. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 44. th. 27. & quidem mediante inventario & traditione libri rationum, quod sc. præter indicata nihil reliquum, atq; per omnia sincere actum sit. Hahn ad Wesenb. tit. de cess. bon. n. 4. Strauch. dissert. 28. th. 13. Goden consil. 34. n. 48.

### Thef. IX.

## De Fine.

Finis est vel principalis vel minus principalis. Finis cessionis Bonorum principalis est, ut cedens liberetur à pœna carceris l. 1. 7. C. qvi. bon. ced. poss. l. 1. C. de exec. rei jud. Zanger. de except. p. 3. c. 26. num. 105. Cujac. ad l. 46. ff. de  
V. S.



V. S. Vinn. ad §. ult. J. de Act. Wissenb. Exerc. ad ff. D. 21. n. 3. Bachov. de Act. Disput. 8. thes. 9. Benedict. de Capra in Comm. Opin. T. 2. verb. debitor. Tusch. pract. Conclus. Jur. Tom. 1. Conclus. 179. & Conclus. 217. n. 1. LL. quidem 12. tabb. qui non erant solvendo, in temporariam servitutem creditoribus, ut nexi addicebantur. Carpz. Asyl. debit. n. 8. 9. & Debitoris corpus inter creditores etiam dividi liceret. Ferrar. ad §. ult. J. de Act. Nec in sacris literis desunt exempla, quibus docetur obæratos debitores & horum liberos in vincula coniectos à creditoribus fuisse Matth. 5. 25. 26. & c. 18. 25. 30. 2. Regum. 4. c. 4. 1. Quod etiam Jure sax. obtinere videtur & debitor obæratu servus quoddammodo efficitur creditoris wird seinen Gläubiger an die Hand und Halfter gegeben / qui cum tantisper detinere potest, donec operis & ministeriis suis debitum dissolvat, bis er die Schuld los arbeit. Wissenb. Exerc. ad ff. D. 21. th. 23. Carpz. Asyl. debit. th. 3. n. 28. Hahn ad Wesenb. Exerc. 21. n. 3. Zanger de Except. p. 2. c. 15. n. 15. Interim tamen cavere tenetur creditor uxori liberisque; debitoris antequam sibi tradatur, quod illæsum restituere velit. Debet etiam ei victum præbere ut reliquæ familiæ suæ. Es muß der Gläubiger seinen Schuldner seinen andern Gesinde gleich halten mit Speis und Trancß und ehe er ihm in die Hand überantwortet / seinen Weibe und Kindern Versicherung und Verbürgung aufrichten / daß ihm nichts verschret werden soll / sondern er ihm unverleht an seinen Leibe überantworten wolle. Weichb. art. 27. §. Ihr sollet wissen. Schulz in Synops. J. ad §. ult. de Act. In Electoratu vero Saxonico mos ille penitus abrogatus est. Si enim debitores non sunt solvendo ultra cessionem, pluribus creditoribus id postulanti bus conjiciuntur in carcerem publicum, Schudthurm. qui in quibusdam civitatibus habetur eò loci, quo vulgo iter est, ut facilius, qui sic detinentur, emendicent, donec creditoribus satisfiat Ferrar. ad §. ult. J. de Act. Const. El. 22. p. 2. §. und soll Ihm darvon Wissenb. Exerc. 21. th. 23. Quam Ordinationem etiam de carcere publico Serenissimus Elector Saxonie J. Georg II. repetijt in Resolut. Gravamin Provinc. de Anno 1661. tit. von Justit sachen. §. Damit auch zum siebenden jedermänniglich sehe Magnif. D. Philippi in us. Pract. J. lib. 1. Eccl. 36. n. 9. Sed carcer ille publicus non tam vere ac proprie est carcer, quam custodia ad solvendum coactiva. Unde

B

qui-



quibusdam est carcer tædialis idioma nostro bürgerl. Gehorsam  
Besold. Thes. Pract. verb. Gefängnuß. Carpz. Asyl. debit. th. 4. n. 48.  
(2) Quod evitet infamiam l. ult. C. qui. bon. ced. pos. l. 11. ex quib.  
caus. infam. irrog. Nov. 4. c. 3. In quibusdam tamen locis videtur  
cessio bonorum aliquam infamiæ, debitori maculam inurere,  
quando scil. posteriora nude ostendendo exclamare cogitur:  
Cedo bonis. Carpz. Asyl. debit. c. 2. n. 166. seqq. Hodie debitor de  
coctor, cujus bona publice sub hasta venduntur. Noviss. Resolut.  
Gravam in Prov. de anno 1661. tit. von Justit. sachen tenetur gestare  
flavi coloris pileum. Er soll eine zeitlang nach des Ordinarii judicis  
Ermessung / zu Anzeigung seines in Nachlässigkeit und Verschwen-  
dung geführten bösen Lebens / Einen gelben hut zu tragen / und an-  
dern seines gleichen besser als er hauß zu halten ein Beyspiel damit  
zu geben angehalten werden. M. D. Philippi in Us. Pract. J. Ecl.  
80. n. 3. (3) Quod fiat incapax publicorum honorum ac digni-  
tatum. arg. l. 6. pr. de muner & honor Dn. Strauch. Dissert. 28. th. 16.  
Fini secundarius est, quod dissolvatur societas, quam cedens cum  
aliis contraxit, quod tamen intellige, si pecuniam in societatem  
contulerit, secus si operam §. 8. J. de societ. (2) Quod posses-  
sio bonorum, quibus debitor cessit, voluntate Domini quasi per  
traditionem in creditores transferatur. Nicol. Proc. p. 3. c. 6. n. 7.  
Dn. Strauch. Dissert. 28. th. 7. Cæterum neq; naturalis neq; civilis  
obligatio tollitur. Eman. Soarez. in Comm. Opin. T. 3. sed si devenerit  
ad pingviorem fortunam (sc. quando ex hæreditate, vel lucro  
operis aliquid acquirat. Tusch. Pract. concl. jur. T. 1. concl. 180. &  
concl. 217. n. 2.) denuo efficaciter convenitur §. fin. J. de Act. Dn.  
Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 44. th. 29. Hahn. ad Wesenb. Exerc.  
21. n. 4. Hinc sententia Lips. Sprechen wir/ie. Seyd Ihr euren  
Gläubigern mit Schulden verhasset. Ob ihr nun gleich denenselben  
alle eure Güter und Berechtigkeiten / auch die Schulden / die  
ihr bey N. außsehen habt / abtretten und übergeben / und also bo-  
nis cediren wollet / so möget ihr euch dennoch damit von der Be-  
zahlung des Nachstandes wieder die Gläubiger nicht befreyen / mit  
Euch nach S. Recht zu gebahren D. R. W. Tamen in quantum  
facere potest. l. 4. l. 6. l. 7. de res. bon. §. ult. J. de Act. Specul. lib. 2.  
de



*de exec. sent. n. 3 f. m. 351. Wissenb. Exerc. 21. th. 20. Bachov. ad Treutl.  
V. 2. D. 4. th. 4. lit. B. D. Franzk. ad §. ult. J. de Act.*

Thef. X.

## De Affin.

Affinia cessionis bonorum sunt salvus conductus. Induciæ moratoriæ quæ ab Imperatoribus justis de causis sunt introductæ l. 4. C. de precib. Imper. offerend. Ejuratio bonæ copiam, quæ est ejurare bonam copiam sibi non esse æris alieni dissolvendi. Dilationes, quæ reo in judicium deducto post libelli oblationem, an contendere, an cedere velit, dantur.

Thef. XI.

Ultimo tandem quæritur, an beneficio huic renunciari possit? Negant hoc communiter Doctores, etiamsi intervenerit Juramentum, quia contra naturalem æquitatem est carceris squalor. *Heinrichm. T. 1. cons. 1. n. 61. 62. Tusch. pract. concl. Jur. T. 1. concl. 218. n. 7. Perez. ad tit. C. qui bon. ced. poss. n. 20.* Carcer enim derogat libertati & est species servitutis. Tantum! Plura quidem hæc materia postulabat, non flagitabat, illis superfedere non tamen tam volui, quàm debui.

Claudo igitur dissertationis meæ rivulos  
hemistichio illo modestiæ  
pleno:

Cedam meliora docenti!

B 2

CO-



## COROLLARIA.

Jus altius tollendi vera est servitus.

Cautio in quasi usufructu remitti potest.

Mohatram novum & specialem esse contractum credibile non est.

Actio Negatoria ex servitute non oritur.

Condictio furtiva non est ex delicto.

Actio Pauliana non est actio Dativa.

Actio Legis Aquiliae est in simplicum & tamen simul mixta.



**C**ESSIO discutitur Tibi dum, GRAFI,  
ista BONORUM  
Quæ certè ACCEDENT, jam BONA quoque  
precor.

Ita

**G**EORGIUS TOBIAS Schwenda  
dendörffer/D. Facult. Jurid. Ordinarius.

---

**M**E quoque plausorem poscis,  
GRAFI optime? Plaudo:  
Cedat multiplici Cessio ve-  
stra bono.

**F**RID. RAPPOLT. SS. Th. D.  
& Prof. Publ. Extraordinarius.

---

**H**Actenus ut gnauus studio COMES ire parasti  
Sic COMES ex voto sit tibi semper honor.

Quod Dn. Respondenti vovet

**PRÆSES.**

Qvis-



Qvisqvis Themistos abditū  
penetrabile  
Intrâsse visus, hic reconditas se-  
cum,  
Instar Biantis, portat ingenî do-  
tes,  
Quocunq̄ tendat; nec bonis,  
obærata  
Ceu debitorum turba, nec foro  
cedit.

Id quod Politissimo Dn. Respondenti, Auditori  
quondam suo supra votum industrio,  
apprecatur

L. Martinus Zacharias  
Cramer.

Egre-



CESSIO, quam tractas GRAFI perdocte  
BONORUM,  
Tibi BONORUM ACCESSIO est.  
Quicquid & ACCEDIT Tibi, CEDET Patriæ, & ipsi  
Quod Opto, PATRI in gloriam.

Per-Eximio Dn. GRAFIO sympatriotæ & Amico  
præcaro properab. at bene-ominab.  
cum gaudio sic applaudit

M. Joachimus Fellerus,  
Cygn. P.L.C.

---

Gregium factum! sic itur ad ardua, GRAFI,  
Sic studiis lætus conciliatur honos.  
Quid valeas liquidò demonstras, quidq; BONORUM  
CESSIO proficiat, te docuisse juvat.  
Obsequeris menti, nec Marti cedere calles:  
Scilicet ingenio cedere promptus eras.  
Maeste hoc esto animo, atq; audentior arma capesse,  
Nec palle, in PATRIA PALMA PARATA MANET.

Ita præstantissimo Dn. Respondenti, Amico  
suo Optumo applaudere  
debut

Heinricus Wolff / Pirnensis,  
Jur. Stud.

Tibi



Tibi SCHNEIDEWINUS, maximum Astrææ  
decus,

Insculptum & ipsi æternitatis marmorì  
Tibi, Frater, Abavus & mihi. Sed dum Patris  
Ego verendi, tu illius vestigia  
Premas. Et ecce spem micantem in paginis  
Vel hisce paucis. SCHNEIDEWINUS si minus  
At umbra fias SCHNEIDEWINI, com-precor.

Φιλαδελφίας χάριν apposuit


Johannes Graff/ SS. Theol. Stud.














X2615893

Voll









11813

1668, 26

D. T. O. M. A.

DISPUTATIO JURIDICA

DE

CESSIONE BONORUM,

Quum

Divina permittente gratia,

Ex

Suffragio Magnifici, Nobilissimi &

Amplissimi Jctorum in Illustri Academia

Lips. Ordinis

PRAESIDENTE

Nobilissimo, Amplissimo & Consultissimo

VIRO

DN. BARTHOLOMÆO LEON-

HARDO SVENDENDÖRFFERO, U. J. D.

& Inst. P. P. Celeberrimo,

Domino Promotore, Patrono & Doctore Opt. Max.

*publicæ Eruditorum ac benevolorum censura subjicit*

PETRUS Grass / Cygnea - Misnicus

Autor & Respondens.

In Auditorio Jctorum Petrino

Ad diem XXI. Octobr. Anno d<sup>i</sup> I<sup>o</sup> LXVIII.

horis consvetis.

L I P S I Æ

Literis JOHANNIS GEORGI.

